



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Adrianvs M. 8. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

quendam annis permultis sub eam noctem, quæ diem *Virginis* natalē præit, vidisse sidus ingens cælo se demittere, & festivis ignibus ædem Lauretanam exornare: utrumque porrò Angelis doctoribus didicisse, id ob *Cunarum virginearum* memoriam Superos factitare. Echo itaq; solum est omnis hodie mortalium plausus, quàm cælum suis concentibus provocat, utinam vel ad ultima hujus vota responsura! scintilla est, ab æthere in animos hominum illapsa, utinam in incendia abitura! Bene profecto Innoc. IV. quod à morte Cælestini IV. Pontif. Max. creatio, quam Freder. II. Imperat. turbare nitebatur, VIRGINIS ope feliciter successisset, patronæ cunas omnibus annis dies VIII. celebrari iussit. Sed hoc etiam parū esse, audacter dico. Felices illæ Cunæ, illæ linguæ, in quibus quotidie M A R I A cum aurorâ nascitur, cum sole vivit, & neque cum die emoritur. Ex *Duran. Beleh. Vincent. Turfell.*

S. A D R I A N V S M. 8. Septembris.

M Appam dixisset martyrum sanguinem, qui hunc mitti vidisset, tam ad pugnam Christianos olim passim excivit. Ita A D R I A N V M ex equestri ordine virum, ut Christo militaret eadem prælia, martyrum gloriosa & invicta in tormentis constantia accenderunt.

li runt.

runt. Et vicisse etiam se ratus est, cum manus tyranno dedit vinculis ligandas, ex quibus cum aliquot post dies cum bonâ veniâ egressus ædes suas repeteret, conjunx ejus Natalia fortissima matrona transfugam è sanctis castris adventare rata tecto exclusit, nec prius admisit, quàm fidem se DEO servasse ostenderet. Quin ipsa in vincula reduxit maritum, ipsa cum cæsus ilia effunderet, dictis firmavit. Et quia feminis aditus ad ergastula martyrum jam negabatur, positis capillis, ut viro foemina animos adderet, virum induit, cumque membris truncandi jam Christi milites essent, id scilicet à carnifice multis precibus blanditiisque exoravit, ut primas conjux teneret; ab hoc vero, ut, sponte manus securi subiceret. Ipsa dexteram ADRIANI legens thesauri loco (& erat) asservavit. Nec multo post cum ADRIANVS ad cælitū gaudia Nataliam etiam invitasset, conjugii suo conjunx iterum & æternum juncta est. Quamvis quid conjuges dico, quando in utroque virum agnovimus?  
*Ex Surio.*

S. CORBINIANVS EPISC.

8. Septembris.

CORBINIANVM fugientem è Galliâ honor Romæ affecutus in totius orbis oculis infulâ mactatū in patriam remi-